NAZ.
UELE III
III*
3
6
OLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XXVIII*
B
96
NAPOLI

Digitized by Google

LVI
FF
104

C. J. O.

XXVIII*
B
96.

Digitized by Google

LVI
F
104

Digitized by Google

Digitized by Google

AUREUS

CONSTANTINI AUGUSTI NUMMUS

DE

URBE, DEVICTO AB EXERCITU GALLICANO MAXENTIO, LIBERATA

EXPLICATUS.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

ROMÆ,

Typis Lucæ Antonii Chracas propè Sanctum Marcum in via Curſûs.

Superiorum permiſſu.

M D C C I I I.

Digitized by Google

[illegible] Google

EMINENTISS. AC REVERENDISS.


PRINCIPI
TUSSANO
DE JANSON FORBIN,
S. R. E.
CARDINALI AMPLISSIMO.

Michael Angelus de la Chauſſe Fel.

VICTOR CONSTANTINUS, GENTIUMq; BARBARARUM DEBELLATOR in antiquis nummis inſcribitur: URBIS LIBERATOR dicitur in veteribus monumentis: GLORIA EXERCITUS GALLICANI, cujus ope & victor evaſit, & gentes barbaras debellavit, ipſamq; Urbem à Maxentio liberatam in pri-

ſtinam libertatem reſtituit, prædicatur in aureo noſtri muſei numiſmate in hac diſſertatione explicato. Tuo igitur nomini debuit illa conſecrari, EMINENTISSIME PRINCEPS, Tibi inquam, qui Gallicanæ nationis in Urbe & decus es, & præſidium. Inter tot lætas Populi Romani acclamationes glorioſiſſimo, ac piiſſimo Principi ob extinctam tyrannidem factas, fauſtoſque applauſus, de quibus obiter tantùm hìc agimus, vota mea, quæ publica vota ſunt, ſine me in eadem æterna Urbe pro tua incolumitate rependere, eaque repenſa benignè comprobando, obſequii mei, ac debiti partes in hoc exiguo licet, ac tenui munere pro ſolita ſingulari tua humanitate ſuſcipe.

PRÆCLARA Cônſtantini Aug. & inclytæ nationis Gallicanæ facta illuſtrat aureus hic noſtri muſei nummus à Trevirenſibus percuſſus.



Exhibet in antica parte caput Conſtantini laureatum cum epigraphe.

CONSTANTINUS P. F. AUG.

Conſtantinus Pius Felix Auguſtus.

In averſa autem ipſummet Im-

peratorem Equeſtrem, dextram protendentem, cum lemmate in ambitu:

GLORIA EXERCITUS GALL.

Gloria Exercitus Gallicani.

Subtus verò P T R. *percuſſa Teveris*, ideſt, *moneta.*

Conſtantinus Conſtantii Chlori ex Fl. Helena muliere ſanctiſſima filius, adoleſcens optimis imbutus moribus, ſub Galerio Maximiano primùm contra Sarmatas militavit, partâque ex illis victoriâ, Duceque capto, (*a*) Galerii inſidias veritus ad patrem confugit: quo mortuo, anno videlicet abdicationem Diocletiani, & Maximiani Herculei ſubſequente (*b*)

(*a*) Pompon. Lętus lib. 2. (*b*) Lactant. de mort. perſec. c. 19.

V. C. MLIX. Æræ Chriſtianæ CCCVI.(*a*)ætatis ſuæ XXXIV. paternum Imperium in Galliis, Hiſpaniis, & Cottiis Alpibus ſibi teſtamento relictum accepit. Cæſar primùm in Britannia(*b*)dictus, & à Galerio forſan invitè declaratus Auguſti titulum ſibi à patre, (*c*) & militibus delatum diſtulit uſque ad annum proximum, quo ipſe primùm COS. cum Maximiano Herculeo, qui purpuram reſumpſerat, non tamen, ut quibuſdam videtur, Severo, aut Maximino ſuffectus, Fauſtam Herculei filiam in uxorem duxit. De his nuptiis, tituloque Auguſti Conſtantino à ſocero dato mentio habetur in panegyrico ipſiſmet (*d*) in celebra-

(*a*) Idat. in faſt. (*b*) Eumen. in paneg.
(*c*) Lactànt. de perſec.c. 24. (*d*) Paneg. 6. n. 2.

tione nuptiarum Treveris dicto. *Quid enim aut tu carius dare, aut tu carius accipere potuiſti, cùm hac affinitate veſtra & tibi, Maximiane, per generum juventa renovata ſit; & tibi, Conſtantine, per ſocerum nomen Imperatoris accreverit?* (& deinde) *Geſſeris enim multa fortiter licet, multa ſapienter, cùm per maximos tribunatus ſtipendia prima conficeres; ſentias, neceſſe eſt, tantæ auſpicia fortunæ, Imperator adoleſcens. Quanquam quid ego in te ætatis tuæ potiùs quàm gravitatis nomen uſurpo? cujus tanta maturitas eſt, ut cùm tibi Pater Imperium reliquiſſet, Cæſaris tamen appellatione contentus, expectare malueris; ut idem te, qui illum, declararet Auguſtum. Siquidem ipſum Imperium hoc fore pulchrius judicabas, ſi id non heredita-*

rium ex ſucceſſione creviſſes, ſed virtutibus tuis debitum à ſummo Imperatore meruiſſes.

C. V. Comes Franciſcus Mediobarbus (a) hunc nummum profert, prædictoque anno cuſum exiſtimat: ſed quo argumento nitatur, minimè apparet. Fortaſſe quia Conſtantinus Treveris tunc commorabatur, ubi in celebratione nuptiarum Auguſtus dictus fuerat: ſed ad quid inſcriptio GLORIA EXERCITUS GALL. cùm hoc anno nil egerit memoratu dignum. Expeditionem cõtra Francos anno ſuperiori poſt mortem patris ſuſceperat, eorumque Regibus Aſcarico, & Regaiſo ſuperatis, & captis totam Germaniam ad dandos obſides compellaverat:

(a) Imp. Rom. num.

illo autem anno cuſus nummus minimè videtur, ſiquidem Conſtantinus Cæſaris dignitate contentus Auguſti titulum nondum acceperat. Meliùs Carolus Du Cange (a) qui nummum Treveris percuſſum ſcribit, cùm Conſtantinus poſt devictum Maxentium, aſſertamq; Romanam libertatem inGallias reverſus anno CCCXIII. inibi aliquandiù conſtitit, & indè in inferiorē Germaniam ad exortos Francorum tumultus pacandos tranſiit.

At quia Conſtantinus ſuperato Maxentio MAXIMUS Romæ dictus eſt,& in noſtro nummo AUG. tantùm inſcribitur, Mediobarbi poſſet opinio prævalere: obſervandum eſt, quod licet ille poſt

(a) Diſſert. de infer. ævi num. n. 53.

devictum apud Maſſiliam anno CCCX. Maximianum Herculeum MAXIMUS in Galliis appellatus fuerit, (*a*) in infinitis tamen eomet tempore, anniſque inſequentibus, atque etiam poſt victoriam de Maxentio reportatam percuſſis nummis AUG. tantùm inſcribitur relicto MAX. titulo, ut legitur apud eumdem Mediobarbum in nummis ab eo relatis cum epig. in antica parte: IMP. CONSTANTINUS AUG. CONSTANTINUS. P. F. AUG. In averſa autem: GAUDIUM ROMANORUM. GLORIA EXERCITUS. RESTITUTORI LIBERTATIS. VIRTUS EXERCITUS GALL. &c.

Anno CCCVIII. III. Id. No-

(*a*) Paneg. 7. n. 13.

vembris Licinius Carnunti in Pannonia AUG. à Galerio (*a*) declaratur præſentibus, ac conſentientibus Diocletiano, & Maximiano Herculeo: quâ promotione à Maximino in Oriente auditâ, ipſe AUG. titulũ aſſumit. Galerius deinde, etſi invitè, Conſtantinum & Maximinum AUGG. dicit; unde quatuor Imperatores eodem tempore extitêre, (*b*) Galerius, Conſtantinus, Licinius, & Maximinus. Is Licinio infenſus primum AUG. mortuo Galerio ſe inſcripſit, qui honos Conſtantino poſt devictum Maxentium à Senatu virtutis gratiâ delatus eſt. (*c*)

Varios trium inſequentium annorum eventus, quoniam ad num-

(*a*) Idatius. (*b*) Lactant. de perſec. c. 32.
(*c*) Lactant. ibid. c. 44. Euſeb. lib. 9. c. 9.

mi noſtri dilucidationem minimè faciunt, hìc referre noſtri non eſt propoſiti: Defunctis itaque Herculeo, & Galerio, dum Maximinus in Oriente imperat, Conſtantinus II. COS. cum Licinio etiam II. COS. collega, anno Chriſti CCCXII. Imperii ſui VI. ad liberandam Urbem, totamque Italiam à ſæviſſima Maxentii tyrannide Alpes tranſgreſſurus, in itinere ſanctum Crucis ſignum mediâ die in cælo vidit, quod totus etiam conſpexit exercitus, referente Euſebio. (*b*)Erat autem illud radiis coruſcans, luciſque ſplendore fulgens, aureis hiſce literis ΕΝΤΟΥΤΩΝΙΚΑ belli victoriam ſignificans. De loco, ubi hoc cæleſte ſignum apparuit, non con-

(*b*) Lib. 1. de vita Conſtant.

ſentiunt Scriptores: quidam in Galliis (*a*) viſum affirmant, antequam Conſtantinus Alpes tranſgrederetur: alii, quando prælium adverſus Maxentium commiſit. (*b*) Conveniunt autem ferè omnes hoc cæleſte portentum ad Conſtantini converſionem multùm profuiſſe: ſiquidem ab illo tempore ſalutare Crucis ſignum vexillis impoſuit, Idolorum templa evertit, multaque edicta catholicę religioni favorabilia promulgavit. Illum etſi à primis Imperii menſibus Chriſtianis faviſſe, Deique cultum reſtituiſſe affirmet Lactantius. (*c*) *Suſcepto Imperio Conſtantinus Auguſtus nihil egit, priuſquàm Chriſtianos cultui, ac Deo ſuo*

(*a*) Sozomen. l.1.c.5. (*b*) Lactant. de perſ. c. 44. (*c*) Id. ibid. c. 24.

reddere: hæc fuit prima ejus ſanctio ſanctæ religionis reſtituta. In dubio tamen eſt, an ipſe catholicam religionem ante prædictam Crucis viſionem fuerit profeſſus, cùm in panegyricis falſorum Numinum mentionem fieri, Jovemque, & Apollinem pro ſua æternitate precari, ac nummos cum epigraphe MARTI CONSERVATORI. MARTI PROPUGNATORI. JOVI CONSERVATORI. SOLI INVICTO COMITI. HERCULI VICTORI. &c. etiam poſt devictum Maxentium, Urbemque liberatam cudi paſſus fuerit. Sed hæc ad Oratorum Gentilium, Populorumque falſæ religioni addictorum pertinaciam tribui poſſunt, ſi fides Lactantio(*a*)

(*a*) De fal. relig. lib. 1.

Conſtantinum alloquenti. *Conſtantine Imperator Maxime, qui primus Romanorum Principum repudiatis erroribus Majeſtatem Dei ſingularis, & veri & cognoviſti, & honoraſti*. Philippum tamen ante illum Chriſtianum fuiſſe teſtantur Euſebius (*a*) & Oroſius. (*b*)

Conſtantinus Alpes tranſgreſſus Seguſio, Taurinoque captis Mediolanum petiit, civitatemque exultantibus populis ingreſſus, aliquot dies in ea commoratus eſt. Eadem ſanè, & quidem mira ſub CONSTANTINO AUG. & LUDOVICO MAGNO exercitus Gallicani diſciplina: eadem in debellandis hoſtibus fortitudo, & magnanimitas: eadem in parcendo clementia: eadem in victo-

riis

(*a*) Chronic. (*b*) Lib. 7. c. 13. & 18.

riis moderatio. *Qui fuit ille dies,* inquit anonymus panegyrici ad Conſtantinum author, (a) *quo Mediolanum ingreſſus? Quæ gratulatio Principum civitatis? Qui plauſus populi? Quæ ſecuritas intuentium te Matrum, te Virginum? Quàm duplici fructu fruebantur, cùm pulcherrimi Imperatoris formam viderent, & licentiam non timerent? Oſtentare ſe omnes, & tripudiare ſine ullo de reliquiis belli metu, & auſpicium victoriæ tuæ pro conſummatione metiebantur.*

Brixiam deinde, Veronam, quæ maximo hoſtium tenebatur exercitu, victis Maxentii Ducibus, occiſoque Ruricio cepit: Aquilejam, & Mutinam in ſuam poteſtatem redegit: ac tandem

(a) Paneg. 9. n. 7.

profligato ad ſaxa rubra ſeptimo ab Urbe milliari Tyranni exercitû, ipſoque V. Kal. Novembr. (a) eâ die, quâ ſextum Imperii ſui annum cõplebat, (b) ac quinquennalia terminabantur, ad pontem Milvium in Tiberim ſubmerſo victor, & triumphans Conſtantinus Urbem cum magno applauſu, ac fauſtis Senatus, Populique Romani acclamationibus poſterâ die ingreſſus eſt. *Nullus poſt Urbem conditam*, ait Nazarius, (c) *dies Romano illuxit Imperio, cujus tam effuſa, tamque inſignis gratulatio aut fuerit, aut eſſe debuerit: nulli tàm læti triumphi, quos annalium vetu-*

(a) In Kalend. vet. apud Bucher. *V. Kal. Novembr. EVICTIO TYRANNI. IV. Kal. INGRESSUS DIVI.*

(b) Lactan. de perſ. c. 44. (c) Paneg. 10. n. 30. & ſeqq.

ſtas conſecratos in literis habet. Non agebantur quidem ante currum vincti Duces; ſed incedebat tandem ſoluta Nobilitas. Non conjecti in carcerem Barbari; ſed educti è carcere Conſulares. Non captivi alienigenæ introitum illum honeſtaverunt; ſed Roma jam libera: nihil ex hoſtico accepit; ſed ſe ipſam recuperavit; nec præda auctior facta eſt, ſed eſſe præda deſinit: & quo nihil adjici ad gloriæ magnitudinem majus poteſt, Imperium recepit, quæ ſervitium ſuſtinebat. Duci ſanè omnibus videbantur ſubacta vitiorum agmina, quæ Urbem graviter obſederant: ſcelus domitum, victa perfidia, diffidens ſibi audacia, & importunitas catenata; furor vinctus, & cruenta crudelitas inani terrore frendebant: ſuperbia, atque arrogantia debellatæ, luxuries

coercita, & libido conſtricta nexu ferreo tenebantur. (Et mox) *Quis triumphus illuſtrior? Quæ ſpecies pulchrior? Quæ pompa felicior?*

Plura vide apud Euſebium, (*a*) & incertum panegyrici authorem (*b*) Conſtantinum Treveros reverſum alloquentem, exultantemque Romam in illius triumpho deſcribentem.

Æternam Conſtantini victoriæ, Maxentiique cladis memoriam conſervat ſuperbus triumphalis arcus Romæ à Senatu, Populoque Romano inter montes Palatinum, & Cœlium erectus LIBERATORI URBIS. FUNDATORI QUIETIS dicatus, ubi inter cætera mirâ arte ſculpta ex deſtructis Auguſti, & Trajani, ut quibuſdam

(*a*) In vita Conſtant. (*b*) Paneg. 9. n. 19.

videtur, (*a*) ac M. Aurelii, teſte Baronio, (*b*) aliiſque inſignioribus Urbis monumentis illùc translata, quatuor Genii ſeù pueri alati inſculpti ſunt, anni partes quatuor cum ſymbolis referentes, & felicia tempora ob extinctam Maxentii tyrannidem deſignantes. Ad hanc fortunatam ætatem referendus videtur pariter aureus hujus Imperatoris nummus (*c*) cum quatuor puerulis, ac ſolitis ſymbolis, & epigraphe FELICIA TEMPORA.

Quonam verò tempore abſolutus fuerit arcus, ad nummum noſtrum parùm attinet: ſiquidem hic Treveris Conſtantino in Gallias reverſo percuſſus fuit anno

B 3

(*a*) Donat. l. 3. c. 6. Marlian. l. 4. c. 6.
(*b*) An. 312. 66. (*c*) Mediobarb. in Conſtantin.

Urbis liberationem ſubſequente: ille autem eodem anno, quo Decennalia Imperii Conſtantini ſoluta, & Vicennalia ſuſcepta, ut ex ipſiuſmet arcûs inſcriptione: VOTIS X. VOTIS XX. SIC X. SIC XX.

Baronius([a])hanc votorum nuncupationem anno CCCXV. factam, dictoſque à Conſtantino Cæſares Criſpum, & Conſtantinum Juniorem refert ex authoritate Nazarii: ([b]) at illa ex ejuſdem oratione panegyrica, quam citat, pronunciata Kal. Martii A. CCCXXI. die natali Cæſarum, quo vota eorumdem Quinquennalia ſolvebantur, ac ſuſcipiebantur Decennalia, incidit in A. CCCXVI.

---

[a] an. 315. 1. (b) Paneg. 10.

ut notat alter Purpuratus (*a*) non minùs virtute, ac doctrinâ, quàm dignitate Eminentiſſimus, peragente Conſtantino decimum Imperii ſui annum: vota enim de novo ſuſcepta arguere videntur priora jam ſoluta, ſeu de proximo ſolvenda: ſicuti teſtantur ejuſdem Conſtantini Vicennalia Romæ an. CCCXXVI. exacto nempe altero Decennio celebrata; quam ſententiam tuetur eruditiſſimus Pagius. (*b*) Scribit Euſebius (*c*) inter Decennalium Conſtantini Auguſti ſolennia dictos Cęſares Criſpum, & Conſtantinum Juniorem; eodem que anno Solis defectum eveniſſe docet Aurelius Victor, (*d*) quem die VI. Julii A. CCCXVI. ac-

(*a*) Card. Noris de num. Licin. p. 75. (*b*) P. 165. & ſeqq. (*c*) Tric. c. 3. p. 608. [*d*] P. 526.

cidiſſe narrat Calviſius.(*a*) Idatius verò (*b*) trium Cæſarum, Criſpi nempe, Conſtantini, ac Licinii Junioris promotionem die prima Martii A. CCCXVII. Gallicano & Baſſo Coſs. agente Conſtantino annum Imperii ſui XI. factam aſſerit, (cui opinioni refragantur aliqui Scriptores, (*c*) huic promotioni annum CCCXVI. aſſignantes:) præfatum verò Solis defectum ad diem XXVI. Julii A. CCCXVII. refert Scaliger, (*d*) ut Chronologię ſuę Conſtantini Aug. Decennalia, & Vicennalia A. CCCXVII. & CCCXXVII. ut aſſerit, celebrata accommodet, cùm anteà Imperii ejuſdem Conſtantini initia A. CCCVII. malè ſta-

(*a*) p. 389. (*b*) In faſt. [*c*] Chronic. Alex. & S. Proſp. [*d*] L. 5. de emend. temp. p. 476.

tuerit, ſed diutiùs in iſtis.

Pacatâ Româ, priſtinâ Senatui authoritate reſtitutâ, rebuſque omnibus in Urbe compoſitis, inde Conſtantinus labente anno CCCXII. ſeu ineūte CCCXIII. III. COS. deceſſit. Mediolanum profectus Conſtantiam [a] Sororem ſuam Licinio etiam III. COS. illùc accito (b) in uxorem dedit, hiſq; nuptiis ſplendidiſſimâ pompâ celebratis in Gallias reverſus Treveris aliquamdiù conſtitit, & ad Rheni ripam Francos tranſitum molientes compreſſurus, Germaniamq; ſubindè vaſtaturus conceſſit. Ad hanc expeditionem in Francos, & Alamannos referenda videntur duo Conſtantini

[a] Lactant. de mort perſec. c. 47. Zoſim. lib. 2. Opt. lib. 1. [b] Vict. epit. p. 542.

numiſmata aurea, (*a*) in quorum aversa parte mulier ſub trophæo plorãs cum epig. in ambitu GAUDIUM ROMANORUM. infrà in uno FRANCIA. in altero ALAMANNIA: nec non aliud pariter aureum (*b*) cum eadem epig. & trophæo, cui aſſidet utrinque captivus, infrà FRAN. & ALAM. De Francis à Conſtantino ſuperatis, ac profligatis paſſim apud Scriptores mentio: eam illi Germaniæ partem incolebant, quę tempore D. Hieronymi (*c*) Francia vocitabatur, & quæ appellatio Galliæ noſtræ indita eſt, cùm ii Populi regnante Meroveo Rhenum tranſacti Provincias Gallicas inſederunt, quo quidem nomi-

[*a*] Du Cang. Hiſt. Byzant. tab. 3. [*b*] Mediob. in Conſt. [*c*] In vita S. Hilarion.

ne primus videtur uſus Gregorius Magnus, de florentiſſimo Regno mirabilia locutus. (*a*) Romanos in expeditione Italiæ ſuperatos, devictoſque ad Rhenum Francos lege apud incertum panegyrici authorem Treveris Conſtantino dicti. (*b*) *Facile eſt vincere timidos, & imbelles, quales amœna Græcia, & deliciæ Orientis educunt &c. Romanum verò militem, quem, qualemque ordinat diſciplina, & ſacramenti religio confirmat; aut trucem Francum ferinà ſolà carne diſtentum, qui vitam pro victus ſui utilitate contemnat, quantæ molis ſit ſuperare, vel capere? Quod tu, Im-*

[*a*] L. 5. ep. 6. adChildebertum Francorum Regem. *Quantò cæteros homines regia dignitas antecedit, tantò cæterarum gentium regna, regni veſtri profectò culmen excellit.* [*b*] Paneg. 9. n. 24.

perator, & nuper in Italia, & in ipſo conſpectu barbariæ (a) paulò ante feciſti. Quonam autem exercitu? Gallicano ſanè, cujus GLORIA in nummo noſtro prædicatur.

Numiſma ejuſdem Imperatoris aureum cum Marte gradiente, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ trophæum, ad cujus pedes hinc, & indè duo captivi ſedentes, & epig. VIRTUS EXERCITUS GALL. Conſtantino ex Italia poſt Romanam expeditionem in Gallias reverſo tribuit Co. Mediobarbus, annoque CCCXIII. forſan poſt fuſos Francos, Germaniamque vaſtatam percuſſum ſcribit. At, pace Viri eruditiſſimi, virtutem quidni gloria comitetur, planè non video:

---

[a] Paneg. 9. num. 24. [b] *In Germaniæ finibus*.

ſiquidem altera alterius prçmium eſt. VIRTUS EXERCITUS GALL. dicitur Conſtantinus, ejuſdem exercitus GLORIA videtur etiam, eodemque tempore prædicandus.

Neque verò omittendum, quod utriuſque nummi antica pars eâdem epigraphe inſignitur, CONSTANTINUS P. F. AUG. hic Treveris in Gallia Belgica percuſſus, ille autem Siſciâ oppido Panno-niæ, quæ in ſuperiorem, & inferiorem, Styriam, & Auſtriam nęmpe, ac Croatiam hodie dividitur. Siſcia vulgò Siſſech ad Savum amnem in Croatia, de qua Plinius. (*a*) *Colapis in Savum influens juxta Siſciam*; fuit una ex Urbibus ſex, quibus jus cudendæ

(*a*) Lib. 3. c. 25.

monetæ inferiore ævo conceſſum, inter quas primum locum obtinuit: ſequuntur aliæ per ordinem in notitia Imperii (a) relatæ, Aquileia, Roma, Lugdunum, Arelate, & Treveri; quibus Conſtantinopolis nova Roma à fundatore dicta, poſterioribuſque temporibus aliæ quædam civitates additæ reperiuntur.

Cohortium Gallorum meminerunt Gruterus, (b) & Reineſius; (c) exercituum autem Galliæ Carolus Du Cange (d) inſcriptionem occaſione hujus nummi referens in Eccleſia Sanctorum Achii, & Acheoli Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium ad Ambianum detectam, & ob chara-

---

(a) Sect. 42. (b) P. 550. 5. (c) 128. VI.
(d) De infer. ævi num. n. 54.

ſteres rudiori arte ſculptos huic ævo tribuendam.

PRO SALUTE ET
VICTORIA EXX G *Exercituum*
APOLLINI ET VER *Galliæ*
IUGODUMNO
TRIBUNALIA DUA
SETUBOGIUSESUGGI
F. D. S. D.

Hæ ſunt, EMIMENTISSIME PRINCEPS, conjecturæ ſatis probabiles, quæ tamen certa argumenta dici nequeunt; cùm de rebus adeò obſcuris, lucubrationibus utcumque inveſtigatis ſententiàm ferre tutum non ſit. Opinionem meam, tantùm abeſt, ut pertinaciter tueri velim, quin potiùs illam publicæ ſubjicio cenſuræ: ſat mihi erit avitæ famæ, patriorum-

que exercituum gloriæ tentaſſe conſulere; ac perenni tuo nomini, tutelari velutì nomini devotum, devinctumque tot beneficiis animum meum apertè, palàmque conſecraſſe.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Pat. Sac. Apoſt. Palat. Magiſt.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Jo: Baptiſta Carus Magiſt. Reverendiſs. Pat. Sac. Apoſt. Palat, Magiſtri Socius Ord. Prædic.

VA1
154494

Digitized by Google

XXVIII*
B
96.

Digitized by Google

VITT
XX